

et honorem induisti, v. 1. Nunc dispiciamus, quae sit persona illa diuina, cui David opus creationis, vt proprium, iam iam adscribat. Non erit opus prolixiori disquisitione, posteaquam S. Paullus Apostolus otia nobis fecit, dum Ebr. I, 7. conceptis verbis affirmavit, ad Deum Patrem pertinere verba Psalmi sequentia: Ο ποιων τες αγγελος αυτε πνευματα, siquidem versu octauo sequenti aduersatiua verba leguntur: Προς δε τον υιον. Sed quod ad filium, vel, de filio dicit. Quis dicit de filio? pater. Idem hic v. 7. dicit etiam de angelis, και προς μεν τες αγγελος λεγει, ergo etiam verba v. 7. obuia proferuntur a DEO patre. Haec autem verba, sunt e Psalmo CIV, 7. repetita. Caeterum praepositionem προς significationem τε περι, vt Luc. XX, 19. sustinere, vel cum HEINSIO, per quod ad, facta interpunctione post τες αγγελος, hoc modo, quod ad Angelos ait, verti posse, recte monuit b. WOLFIVS. Ac ne quis excipiat, de Dauide, auctore Psalmi illius, accipiendum esse verbum λεγει, dicit, monemus, ab Apostolo personam loquentem clarissime descriptam fuisse, in antecedentibus. Τινι γαρ ειπε ποτε των αγγελων, υιος με εστι συ, εγω σημερον γεγεννηκα σε. v. 5. Cui angelorum dixit, nempe Deus pater, Tu es filius meus, hodie te genui. Non Davidis, sed ipsius Dei patris, filium vnigenitum suum alloquentis, haec esse verba, Christianorum nemo negat. David enim ad filium Dei dicere non poterat: Hodie genui Te. Hic idem est, qui etiam v. 6. antecedenti loquens inducebatur: Όταν δε παλιν εισαγαγη τον πρωτοτοκον εις την οικουμενην λεγει. Rursus cum inducit primogenitum in mundum, dicit idem pater coelestis, qui filium in hunc mundum introduxit, non David propheta. Posthaec sequitur versus 7. cum antecedentibus per copulam και cohaerens, quod est infallibili argumento, eundem patrem loqui hoc, de quo quaeritur, commate septimo, ad Psalmum CIV. pertinen-

Wolf. Cur.  
philol. Tom.  
III. p. 610.